


Gel. 4.
Gel. 4.





q. m.

am 15. 17











Contenta

1. Engelhusi chronicon.
2. Stevogts diff. de divj. eor. et benef.
3. Tenzel de symb. Apostob.
4. Schurz fleisch de primi Xrom ~~an~~ Imp. antiq.
5. Schöpferi Justiniani Orthodoxy
6. Tenzel de duplici baptis. Constant. h.
7. Reichenberg de Theodosio. Edicomunic.
8. Tenzel de Polycarpo
9. de Natal. episcop.
10. Wagerheil de Rom. Pontif.
11. Reichenberg de Atheismo Anis olim a gentib.
12. de Interim Augustano

B.
2

Q. D. B. V.

DE

S Y M B O L O

A P O S T O L I C O,

P R Æ S I D E

M. W I L H E L M O E R N E S T O

T E N T Z E L I O,

Ordinis Philosoph. Adiuncto,

publice disputabit

I O A N N E S T E C H E N T I N,

Rostochio - Meklenburg.

Ad d. XXIX. Decembr. cIs Isc XXCIII.

I N A V D I T O R I O M A I O R I.

W I T T E N B E R G Æ,

Literis Vidua BRÜNINGIANÆ,

Excudebat ANDREAS Wall.

3.



L. D. E. N.

DE

Y M B O L O
D N G V S T O L L O G O L A N O

P R A S I D E

M. WILHELMUS FR. ESTO
T. H. S. T. I. O

Originalis P. H. S. T. I. O

CONSISTORIO

LOANNE S. L. C. H. E. N. T. I. N.

IN A. D. I. T. O. R. I. O. M. A. I. O. R. I.

IN A. D. I. T. O. R. I. O. M. A. I. O. R. I.

1771

FACTO K. M. S. & A. N. W. I. N. C. I. A. N. A.

EXCELSOR. A. N. D. R. E. A. S. S. E.



VIRO.
MAGNIFICO. NOBILISSIMO. AMPLISSIMO.
AC. CONSULTISSIMO.

DN. GVSTAVO. CHRISTIANO.
HAPPIO.

IVRECONSULTO. LONGE. CELE-
BERRIMO. COMITI. PALATINO. CAESAREO. CANCEL-
LARIO. ET. CONSILIARIO.

SCHWARTZBURGICO.

CONSISTORIIQUE. SONDRSHVSI. PRÆSIDI.
EXCELLENTISSIME. MERITO.

DN. ADFINI. ATQUE. PATRONO;

OMNI. OBSERVANTIÆ. CVLTV. PROSEQVENDO.

VT. ET.

VIRO. MAXIME. REVERENDO. ATQVE. AMPLISSIMO.

**DN. GEORGIO. FRIDERICO.
MEINHARDO.**

SS. THEOL. DOCTORI. CELEBRISSIMO.

COMITATVS. SONDER SHVSA-SCHWARTZBURGICI.

SVPERINTENDENTI. BENE-MERENTISSIMO. ET, CON-

SISTORII. ADSESSORI. PRIMARIO.

OLIM,

FIDELISSIMO. STVDIORVM. SVORVM. DIRECTORI.

NVNC.

ADFINI. ET. PATRONO. HONORATISSIMO.

ILLI.

VT. PVBLICE. OSTENDERET.

QVANTI. FACIAT.

DVPLEX. ADFINITATIS. VINCVLVM.

QVO. TANTO. VIRO,

CONIVNCTVS. EST.

HVIC.

VT. PRO. DEXERRIMA. DIRECTIONE.

PVBLICE. GRATIAS. PERSOLVERET.

DIGNITATEMQVE. DOCTORIS.

THEOLOGI.

NVPERRIME. COLLATAM.

GRATVLARETVR,

VTRIQVE,

VT. DEBITAM. OBSERVANTIAM. DECLARARET.

FELIX. NOVI. ANNI. AVSPICIVM. ADPRECARETVR.

ET. SE. SVAQVE. STVDIA. AMPLIVS. COMMENDARET.

DISSERTATIONEM. HANCCE.
HISTORICAM.

STRENE. LOCO.

DAT. DICAT. DEDICAT.

M. WILHELMVS. ERNESTVS. TENTZELIVS.

ORD. PHILOS. ADIVNCTVS.



PRÆFATIO.



Miram Pontificiorum leui-

tatem in discernendis veris germanisque Patrum scriptis a supposititiis ac adulterinis passim ab eruditis notari videmus. Ea duobus potissimum modis sese exerit: aut enim fulcire conantur opiniones suas testimoniis ex eiusmodi libro desumptis,

quem ipsi alibi tanquam spurium repudiant; aut ficulneis ad probandam scripti alicuius sinceritatem ac *γνησιότητα* utuntur argumentis, quorum infirmitatem in similibus disputationibus sponte alias agnoscunt. In priori fraudis genere satis exercitatum se præbuit Cæsar Baronius, quemadmodum prudentiores Pontificii sæpius conqueruntur, teste Antonio Godaui in Præfat. Hist. Eccles. cuius verba latine interpretatus est Frid. Spanhemius Canone 4. Isag. ad Crit. Eccles. Quare non erat, ut Casaubono succenseret clarissimus Huetius, Demonstr. Euang. Propos. III. num. XIII. quod *Baronio spectata integritatis viro*, ad Ebraicum Iosephi Codicem in Vaticana Bibliotheca exstantem provocanti, *fidem derogarit*, quem is tantum non omnem integritatem fidemque leuitate sua & inconstantia perdidisse toties deprehenderat, ac in Exercitationum Prolegomenis luculenter monstraverat. Posterioris exemplum præbet nouissimus Historiæ Ecclesiasticæ in Sorbona Parisiensi scriptor, Natalis Alexander, quando in primis Sæc. I. Dissert. XI. *Symbolū, quod Apostolicum adpellatur, ab Apostolis traditum* euincere laborat eiusmodi rationibus, quas Dissert. XVII. de Canonibus Apostolicis & in Synopsi Sæculi IV. Cap. VI. Art. VIII. num. IX. de Athanasiano Symbolo disputans infirmas prorsus tantæque rei adstruendæ impares esse diserte indicat & confitetur. Quod ostendere & in apurum producere, Deo fortunante, animus est, ut aperte constet, in disputatione *Ἐὶ γνησιότητι* duorum illorum

Symbolorum non posse tali modo procedi, ut alterum auctoribus suis adferatur, alterum denegetur, sed utrumque vel adferendum vel denegandum esse.

I.

Non prolixè occupatus ero in recensendis fundamentis sententiæ nostræ, quæ Symbolum ab Apostolis ea forma verborumque structura contextum esse negat: otium enim mihi fecerunt Theologi summi, B. Wilhelmus Lyserus, Aulus meus maternus, Dissert. de Antiquitate Augustanæ Confessionis th. 2. sq. B. Carpzovius Isagoge in libros Symbolicos p. 40. 41. B. Dannhavverus Actu 1. Christeidos Theat. 1. Phanom. IX. & imprimis Illustris hodie Theologorum Princeps D. Abr. Calovius Postulato 1. Syncretismi Calixtini: ut taceam Reformatæ Ecclesiæ Doctores, Iac. Vsserium Dissert. de Symbolo Apostolico Vetere Romanæ Ecclesiæ, Ger. Io. Vossium Diss. 1. de tribus Symbolis, Herm. Witsium Exercit. in Symb. Apost. quæ an. 1681. Francuerræ prodierunt, aliosque innumeros utriusque religionis eruditos.

II. Enimvero ea tantum argumenta vindicabo, quæ impugnavit Alexander, ut leuitas eius melius innotescat. Primum a Lucæ & Apostolorum desumitur silentio, quod ab Alexandro tali forma proponitur: *Si Symbolum hoc fuisset ab Apostolis concinnatum, non ipsi in Epistolis, ac beatus Lucas in Actibus Apostolicis, tanti rem momenti ignorare fuissent Ecclesiam Catholicam: atqui Apostolorum nemo, nec B. Lucas, eius Symboli meminit; ergo hoc Symbolum non est conditum ab Apostolis.* Hoc Alexander quinque impugnat responsionibus. Ait enim I. *multa alia esse ab Apostolis facta, quorum nec S. Lucas, nec Apostolorum ullus meminit.* II. *nec argumentum inficiale alicuius omnino ponderis esse.* III. *Symbolum pertinere ad traditiones non-scriptas, testibus Hieronymo Epist. 61. ad Pammach. Rufino in Expositione Symboli, & Petro Chrysologo Serm. 62.* IV. *S. Lucam, teste Hieronymo, multa Historiographi licentia prætermisisse.* V. *nec Evangelium a se scripti meminisse, nec tamen inde inferri posse Evangelium a S. Luca non esse conscriptum.* Verum omnia hæc tela plane ficulnea sunt, ac ne conjunctim quidem

dem, multo minus seorsim efficiunt, quod intendit Alexander. Primum quippe sapissime retusum est a Nostratibus in disputatione de Sede Petri Romana, ubi hæc exceptio Latinæ sectæ hominibus solennis est. Lucas certe ipsam commemoravit Apostolorum dispersionem, cui præmissam fuisse Symboli constructionem communiter statuunt aduersarii: Quomodo ergo silentio obuoluerit rem, quæ totius fidei Christianæ caput complectitur? Sed habemus Alexandrum *ἑαυτοῦ τιμωρῆμενον*, dum Sæc. I. Disf. XIX. probaturus, *fiçtitiã esse Antiochenam illam Synodum Apostolorum*, cuius nouem Canones proferuntur a Turriano, Baronio & Binio, secundo loco hanc collocat rationem, quod *Synodus illa Antiochena in omni retro Ecclesia ignota fuit; nullumque est illius in Actis Apostolorum aut in omni retro antiquitate vestigium*. Quidni Turriano excipere liceret, multa alia esse ab Apostolis facta, quorum nec S. Lucas, nec Apostolorum vllus meminit? Videt itaque Alexander infirmitatem suæ coniecturæ, nec sibi porro constat, sed secundum quoque telum ipse infringit, quando ex argumento inficiali Canones & Constitutiones Apostolis falso tribui colligit; illudque in Symbolo Athanasio abiudicando in acie collocat: *Prima ratio est, quod nullus auctor Athanasio coævus aut suppar, eius meminere. Non S. Gregorius Nazianzenus in Oratione de Laudibus S. Athanasii, non vllus Historicorum Ecclesiasticorum, qui primis sæculis scripserunt, non Athanasius ipse in Apologiis*. Ad tertium vero recte reposuit Vossius Disf. I. §. 25. *aliquid dicere aduersarios, nisi normam fidei esse vellet, quam a baptizatis exigere oporteret. Nam ἀγροφα ista non vltius spectare potuerunt, quam regimen ac ritus Ecclesie, vel si ad dogmata etiam pertinerent, utilia quidem fuerint, non tamen ex iis, quæ creditu, speratu, factu sint necessaria: quorum nihil non ac perspicue satis, in Scriptura enarratur*. Hieronymus & Rufinus non de hodierno, sed antiquo Romanæ Ecclesie Symbolo intelligendi sunt, quod & Vsserius luculenter commonstrauit: & eodẽ fere sensu Petri Chrysologi locus accipiendus venit. Quartum vt idem est cum primo, ita eadem ratione remittitur.

A 3

que

que plane a scopo abludit, scripturæque diuiniõ repugnat, quum Lucas diserte initio Actuum Apostolicorũ de dictis factisque Christi se scripsisse ad Theophilum testetur, quod de alio libro, quam Evangelio, Theophilo pariter inscripto, intelligi nequit.

III. Est & aliud argumentum, quod cum primo ita iungit Alexander: *Præterea si Symbolum esset ab Apostolis editum, esset pars Scripturæ Canonica: atqui nullus Patrum, dum canone refert scripturæ, in eo Symbolum hoc reposuit; igitur Auctores Apostolos nõ habet. Eludere quidem conatur vim objectionis respondendo, Symbolum Apostolicum non esse repositum in canone Scripturæ Sacrae, tum quia scripto non est ab Apostolis traditum, tum quia, licet sit certum fuisse conditum ab Apostolis, non tamen ad fidem spectat, nec ab Ecclesia definitum est. At Scripturæ Sacrae literis mandata est, & eam esse ab Auctõibus sacris suggerente Spiritu Sancto dictatam, fides edocet. Verum propria rursus cædit ineta Doctor Sorbonicus. Nam Canones Apostolicos veteres convincit eodem argumento, quod non sint in Canonem Noui Testamenti relati; additque notanter: *Nulla enim ratio est, cur a Canonicis N. T. libris excludatur opus, quod ab Apostolis editum ac traditum esse constat. Quum igitur Symbolum non referatur inter scripta Canonica a veteri Ecclesia, facile liquet, id ab Apostolis non esse profectum; aut Canones quoque ab ipsos sancitos, quod absurdum foret & dicere & sentire.**

IV. Tertium argumentum inde petitur, quod Apostolorum ætate alia fuerit catechizandi ratio, aliudque Symbolum, vti liquet ex Matth. XXII. 19. Actibus Apostolicis & Epistolæ ad Ebræos cap. V. & VI. 2. sed subinde postea crescentibus hæreticis varii articuli huic fundamento superstructi sunt & additi, vnde successu temporis totum, quod habemus, Symbolum emanavit, quod pluribus ostendunt D. Calouius §. 12. 27. B. Tob. Wagnerus Inquisit. in Acta Henotica Sect. VII. cap. VII. & in Reformatis post Vossium & alios a scitatos Witsius Exerc. 1. num. 13. 14. At enim uero si certa Symboli hodieque existans forma ab Apostolis Ecclesiæ tradi-

ta fuisset, eandem sine dubio intemeratam, prout ab ipsis designata & constituta erat, ad posteros illa transmisisset, sine ulla detractioe vel additione, non minus ac Epistolæ & reliqua Apostolorum scripta eo plane modo, quo ab ipsis edita, ad nos propagata fuerunt. Non obseruauit vim huius argumenti Alexander, vnde binæ eius exceptiones prorsus nullius sunt momenti. Sibi ipsi certe aduersatur, quando ait, *tunc Simonianos, Cerinthianos & Ebionitas grassatos: et uero paullo post immediate ante Apostolorum dispersionem Symbolum editum esse* statuit: etiamsi enim Simonianos eo tempore iam tum ortos fuisse concedatur, quod tamen negabunt, quicumque fidem adhibent Hegesippo, proximo temporū Apostolicorum scriptori, Ecclesiam, Hierosolymitanam in primis, ubi Symbolum conditum esse fingitur, vsque post mortem Iacobi fratris Domini illibatam permansisse adserenti apud Eusebium lib. IV. Historiæ Ecclesiasticæ cap. XXII. certe rationi temporum plane repugnat, Cerinthianos & Ebionæos in Ecclesia Christiana ante dispersionem Apostolorum virus suum exeruisse. Ut enim largiamur, quod Synops. Sæc. I. c. X. Art. 5. vult Alexander, *Cerinthum sub Apostolis questionem illam mouisse de Circumcisione ac cæteris legis Mosaicæ adhibendis ceremoniis, ad quam disceptandam Concilium Hierosolymitanum ab Apostolis habitum est*, illam tamen non tam ad res in Symbolo hodie Apostolico contentas, quam ad ceremonias & legem Mosaicam facere manifestum est. Quinimo ex eo, quod secundum communem veterum traditionem Ioannes Evangelium diuinitatis Christi aduersus Cerinthum adstruendæ causæ scripsit, colligi posse videtur, hunc hæresiarcham primo ab Ecclesia discessionis tempore in ceremoniis Iudæicis introducendis fuisse occupatum: postea vero ipsam Religionis Christianæ arcem & fundamentum adgressum diuinam Christo naturam denegasse. Vtcunque vero hæc res sese habeat, sicut probari nequit, ante dispersionem Apostolorum Cerinthum hæresin suam sparsisse, eaque de causæ annus Christi 69. ortui sectæ eius adsignatur a Gabr. Prateolo in *Elencho hæres.* p. 458. quum Concilium Hierosolymitanum
an.

an. Christi 51. habitum ex Alexandri computatione consequatur, ut ea in Baronio pridem confutata sit a Nicolao Vedelio Lib. I. de Cathedra Petri c. IV. & V. qui c. VI. annum 48. adsignat. Conf. Frid. Spanhem. Diss. de Æra Conuers. Paulli n. 24. ita pariter falsum est, Ebionæos dispersionem Apostolorum præcessisse, quoniam Ebion *Cerinthi successor* audit Tertulliano lib. de Præscript. hæret. & Philastrio eiusdem *discipulus*; omnesque tam veteres quam recentiores ortum Ebionitarum post Hierosolymitanæ vrbs excidium collocant. Altera denique exceptione, quod *Symboli editione fidei & Ecclesiæ in futurum consulere ac prouidere debuerint Apostoli*, diceret aliquid Alexander, nisi constaret, sequentibus temporibus addita tum alia, tum inprimis Articulum de descensu Christi ad inferos: quæ ex aduerso Apostoli istud dogma diserte expressisque verbis in scriptis ac sermonibus suis exposuerint, non omissuri illud in Symbolo, coniunctis consiliis Ecclesiæ relicto: Multo minus sequentiū ætatum Doctores quidquam illi adiciere ausi fuissent, si ab Apostolis tali forma id fuisset profectum, quod pluribus vrget Vosius §. 26. 27.

V. Sequitur quartum argumentum, quod breuiter proponit Alexander: *Non conveniunt inter se Auctores Catholici de tempore, quo Symbolum ab Apostolis editum est; ergo non est vere Apostolicum.* Constat huic rationi pondus ac valor, quando admodum leuia sunt, quæ obiicit Alexander. Quærit primo, *Quid refert ad rei veritatem, quo tempore facta sit?* Equidem si in tempore solum adsignando variarent scriptores, locus possit esse exceptioni Alexandri; sed quum præterea in primariis historiæ capitibus dissentiant, ut inprimis Vosius ac Dannhavverus commonuerunt, in ventos ea abit: observandum enim, quod ipse respondet Doctor Sorbonicus Sæc. I. Diss. XII. p. 526. *Historia falsitas colligitur ex Auctorum dissensu, si in historia substantia, & præcipuis capitibus dissentiant.* Hinc est quod Symbolum Athanasio abiudicans ratione sexta scribit, *qui illud S. Athanasio tribuunt, non conveniunt inter se, quando & qua occasione illud ediderit.* Quod vero hic obiicit, *doctiores editum Symbolum ab Apostolis arbitrari,*
imme-

*immediate ante illorum dispersionem, uti cum aliorum opinio-
nibus, qui vel ad sequentia vel antecedentia tempora istud
coniiciunt, aperte pugnat, ita ostendit, incerta esse omnia,
quæcunque vel a doctioribus vel a vulgo eruditorum hac de
re traduntur, quum firmo & constanti Apostolicæ ætatis testi-
monio plane destituantur. Præterea infeliciter retorquet ar-
gumentum contra Hæreticos, quos vocat: quanquam enim
non conveniunt de tempore, quo ab Ecclesia Romana editum est,
aliique quarto sæculo, alii quinto conditum volunt, alii ab ipsis, qui
Canones Apostolorum conscripserunt: nullo tamen iure ab illis
consensus in tempore adsignando requiri potest, vel debet,
quum alias Alexandro incumbat de Canonibus ac Constituti-
onibus Apostolicis, similibusque scriptis supposititiis, quo
præcise tempore confecta sint, certo determinare, quod ta-
men nec in illis, quæ Apostolorum nomina præferunt, nec in
cæteris plerisque præstabit, nec aliorum eruditorum con-
sensum facile impetrabit. Nos infra variorum coniecturas ex-
aminabimus, & quæ verosimilior sit, indicabimus, sequuti
ipsius Alexandri exemplum, qui postquam commemorasset,
Symbolum Athanasianum quosdam Eusebio Vercellensi, alios A-
nastasio Sinaitæ tribuere, alios ab Anonymo Theologo Gallo edi-
tum coniecisse Pipini vel Caroli Magni temporibus, subiicit: sed
si quid coniecturis dandum est, proclivior sum ut assentiar do-
ctissimo P. Quenellio illud Vigilio Tapsensi in Africa Episcopo tri-
buenti, qui sub finem V. sæculi floruit. Quis hinc non deprehen-
dat Alexandrum *αὐτοκατάχρητον*, alios coniecturis indulgere nõ
permittentem, quod in simili Ecclesiæ Symbolo ipse fecerat.
Pariter præcluditur effugium vltimum, verius illud Apostolis
tribui, quum a nullo Concilio, a nullo Pontifice, a nullo auctore
conscripsum legamus, secundum Augustini regulam L. V. de Ba-
ptismo contra Donatum cap. 24. consequitur enim & Canones
& Constitutiones Apostolicas ab ipsis Apostolis esse confectas,
quandoquidem alium earundem Auctorem Alexander non
nominaverit, nec quisquam antiquorum memoriæ prodide-
rit. Deinde Augustini regula de eo loquitur, quod vniuersa te-
net Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est.*

B

Sym-

Symbolum autem Apostolicum, prout hodie exstat, nec univ-
ersa recepit Ecclesia, quum aliud in Orientali, aliud in Occi-
dentali, imo in hac ipsa non idem ubique in Baptismo Cate-
chumenorum adhibitum fuerit Symbolum, nec hodiernum
eodem tenore semper retentum sit, sed additionibus subinde
auctum, vti ex superioribus constat.

VI. Quintum argumentum a diversitate Symbolorum de-
sumitur, & ex Vosio hac forma profertur ab Alexandro:
*Si Symbolum esset ab Apostolis compositum iis sententiis,
eo ordine, istis verbis, quibus nunc in Ecclesia recita-
tur; non his verbis hac in Ecclesia, aliis in alia; imo
hic longe pluribus, alibi paucioribus multo sententiis constitisset:
atque variis in Ecclesiis varia prope fuerunt Symbola; aut certe
alia & alia verba Symboli; imo in quibusdam longe plures, in a-
liis pauciores sententia; ergo Symbolum istud non est ab Apostolis
compositum iis sententiis, eo ordine, iis verbis, quibus nunc in
Ecclesia recitatur.* Minorem ex collatione Symboli vulgaris,
Aquilegiensis, quod Rufinus exposuit, Romani Veteris, ac O-
rientalis, quibus cum Aquilegiense idem contulit, prolixè
comprobat Vosius §. 31. sq. quam transcripsit sibi que obiecit
Alexander. Sed Symbolum quoque Hierosolymitanæ Eccle-
siæ a Cyrillo illius Episcopo Catechesi decima octava *ἑρτιζο-
μῆναις* expositum ab hodierno Apostolico quoad verborum &
sententiarum ordinem sæpe differre docuit Vosius §. 51. Quæ
vero Ecclesia Symbolum ab Apostolis compositum maiori cu-
ra ac fidelitate absque vlla adiectione vel detractioe retinu-
isset, quam Hierosolymitana, in cuius medio id conditum esse
volunt? Non potest reiicere Alexander hanc argumentandi
rationem, quem non latet, Græca Symboli Athanasiani exem-
plaria maxime inter se differre, vti post Vsserium nuperrime
prolatis sex diuersis editionibus demonstravit Wolffg. Gund-
lingius Not. in Zialovvski Delin. Eccles. Orient. Græcæ p. 69.
Possuntque hac differentia egregie vrgeri, qui Symbolum ab
Athanasio sermone Græco compositum adserunt, vti sane esse
debet, si Athanasium, scriptorem Græcum, auctorem habet.
Nec euadet hoc loco variis responsionibus, quas vel ad Ma-
iorem

iolem vel ad Minorem adornauit. Etenim circa Maiorem non opus erat distinctione, vt concederet argumentum, si in omnibus Ecclesiis aequè integrum ac intemeratum seruatum esset: negaret autem, si in aliis Ecclesiis quadam reiecta sunt vel pratermissa. Neutiquam sane verosimile est, vllas, siue Occidentis siue Orientis Ecclesias quidquam vel immutasse vel immutari permisisse in Symbolo, quod ab ipsis Apostolis traditum nouerant: potius id sine vlla mutatione studiosissime conseruassent & in numerum librorum Noui fœderis Canonico- rum retulissent, non minus ac nihil addiderunt vel abstulerunt scriptis Apostolicis, sed ea intemerata ad nos transmiserunt. Quamobrem odium Papæ ad seclis commune in Orientis Ecclesiis prodit Alexander, quando vult, in sola Ecclesia Romana Symbolum Apostolicum eo ordine, iisque plane verbis & sententiis recitatum, quo ab Apostolis traditum est. Enimvero in Romana Ecclesia eundem verborum sententiarumque ordinem non fuisse semper retentum, quem hodiernum Symbolum exhibet, patet ex breviori antiquiorique Symbolo, de quo peculiari diatriba supra a nobis laudata egit Vsserius. Nec minorem, quam Romana, curam in adseruandis scriptis Apostolicis adhibuerunt Orientales Ecclesiæ, imo magis multo suam probarunt diligentiam, quando Græcum & authenticum Noui fœderis textum ad nos transmiserunt, quum Versio Latina varie quoque successu temporis immutata, vt iubens aduersus Claud. Frassenium concedit Alexander, Romana Ecclesia contenta fuerit. Pari infirmitate laborant, quæ subicit & in omnibus ad Vosii obiectiones responsionibus inculcat, in aliis Symbolis aliqua interdum adiecta esse maioris explanationis gratia, propter nouas hareses emergentes, quæ tamen in aliis Symboli capitibus implicite, virtute vel etiam verbis æquivalentibus continebantur. Neque enim de hoc vlla est quæstio, nec vbique eadem valet responsio, in primis qua Articulum de descensu Christi ad inferos, quem in Symbolo Romanæ Ecclesiæ suo tempore non exstitisse testis est Rufinus: cur enim postea fuisset adiectus, si in capite de sepultura contine- retur? certe quæ Alexander comminiscitur, erronea sunt, &

Christum faltem secundum animam ad inferos descendisse
Limbumque Patrum, Scriptura palam adversante, inferunt.
Eo spectat *ἡ ἑκκλησία καθολικὴ*, quod olim non existisse in Symbolo
Dannhavverus & Vosius observant, quia serius hoc nomē Eccle-
siae innotuit, oppositum conventiculis Donatistarum & Novatia-
norum. Liqueat huius rei veritas ex breviori Romanæ Ecclesiæ
apud Vsserium Symbolo, ubi *sancta* solum Ecclesia commē-
moratur. Ex quibus omnibus nullo negotio elicitur, neuti-
quam huc facere Diatribam Ioan. Cabassutii Notit. Eccles. p.
543. sq. qua probavit licitam esse additionem ad Symbolum;
aliud quippe est Symbolo Concilii Nicæni addere aliquid li-
cuisset ab eiusdem auctoritatis Doctoribus in Concilio CPTano
congregatis: aliud Symbolo fidei Apostolicæ, quod Apostoli in-
ter se contulerunt, ut esset veluti militaris tessera eorum, qui Chri-
stiana fidei intra Ecclesiæ castra nomen dederant, uti describitur
ab ipso Cabassutio Synops. Sæc. I. n. 9. Etenim si liceat propter
novas hæreses aliqua adicere iis, quæ Apostoli nobis relique-
runt, quidni in ipso novi fœderis codice idem concessum
erit? Verum hoc non patitur Ecclesiæ Christianæ religio,
quæ Apostolorum scripta intemerata conseruavit, eandem
circa Symbolum comprobatura diligentiam, siquidem illud
totidem verbis ab Apostolis confectum esse credidisset.

VII. Vidimus hætenus, quam infeliciter & plerumque
αὐτοκαταχρηστικῶς argumenta nostra impugnauerit Alexander,
nunc ostendemus, ipsum haud meliori fortuna in sententiæ
contrariæ defensione versatum esse. Equidem in eo laudem
meretur, quod primum aliorum reiicit argumentum ex im-
peritia Græcæ linguæ ortum, quando opinati sunt, Symbo-
lum significare collationem, quasi vnusquisque Apostolo-
rum partem suam ad eius compositionem contulerit. Vanita-
tem eius demonstrat Vosius num. 9. 17. cui accedit Alexander:
qui nec improbandus est in reiiciendo testimonio ex spuria
Clementis Romani ad Iacobum fratrem Domini epistola de-
sumtum, quod in acie collocant Genebrardus & Feuarentius:
& alio ex Augustini serm. II. de Tempore desumi solito, quod
sermo ille, vel genuinus non sit sancti Augustini factus, vel certe
ab

ab aliquo sciolo interpolatus fuerit. Simili quoque ratione procedit in Symboli Athanasiani *γνησιότητι* neganda, ostenditque, verba quæ ad illius probationem ex Augustini in Psalmum CXX. Commentario a Bellarmino, Posseuino & reliquis proferuntur, *non esse Augustiniana, nec ullam fieri apud S. Augustinum eo loci Athanasii mentionem.* Certe maxima editionum varietas suspicionem auget, quando aliæ sententiam istam plane prætereunt, aliæ habent quidem, sed circellis vel parenthesi inclusâ: nec a censoribus demû Louaniensibus verba illa sunt expuncta, quum desint in antiquissimis Commentariorû Augustini editionib9, Amorbachiana 1495. Lugdunensi 1519. & Erasmiâ, & *revera absint ab omnib9 MSSis,* quæ Monachi Benedictini in nouissima Operû Augustini editione Parisiis procuranda adhibent, vti ipsi in Notis ad hunc locum obseruant & nostri causa beneuole transcripsit Consultis. Carpzouius, Polyhistor & Senator Lipsiensis clarissimus, in cuius propiorē notitiam venisse magnæ laudi duco. Pariter in publica Acad. Lipsiensis Bibliotheca iis carent duo membranacei codices, quod maxima humanitate indicavit celeberrimus eius Præfectus & amplissimus Patronus noster, Ioach. Fellerus. Quamobrem nō modo ex Pontificiis Dion. Petauis in Theol. dogm. de Trinit. lib. VII. c. 8. n. 7. eiusque contubernalis Iacobus Sirmondus, & cum eo Cabassutius Sac. II. Dissert. 18. Alexandro consentiunt; sed idem quoque statuunt D. Io. Tob. Maior Diss. de Symbolis §. XXVI. & D. Ioan. Ludou. Ruelius To. II. Concil. Illustr. pag. 667. vt alios præteream.

VIII. Maiori autem encomio dignus esset Alexander, si in sequentibus quoque veritatem amplexus verbis Patrum diuersam non adfinxisset mentem, ac si de hodierno Apostolico Symbolo loquerentur. Nam quæcunque ex Irenæo, Tertulliano, Lucifero Caralitano, Ambrosio, Cælestino primo, Concilio Ephesino, Rufino, aliisque profert, vel plane non agunt de hoc Symbolo, sed fidem in scriptis Apostolicis traditam intelligunt, vel Symbolum Romanæ Ecclesiæ breuius antiquiusque laudant, quod ab hodierno in multis discrepasse plus semel monuimus; illud vero non ab Apostolis *αὐτολεξεί,*

sed & *Agnoſcunt* compositum credunt. Prolixius hæc ostende-
runt laudati Auctores, & præsertim summus noster Calouius,
ad quem Lector benignus amandari se patiat. Quum au-
tem Alexandro Tertulliani mentem accuratius inquirere
placuerit, de eadem sigillatim dispicere operæ pretium est.
Objectionem nostram ita proponit: *In Symbolo quod Tertul-
lianus representat, non habentur capita de Christi descensu ad in-
feros, de Spiritu Sancto, de Ecclesia, de Sanctorum communione
de remissione peccatorum, de vita aterna. Itaque Symbolum
non fuit eodem modo traditum Ecclesiis, adeoque non est vere
Apostolicum. Probatur antecedens ex libris de velandis Virgi-
nibus c. 1. de Præscript. Hæret. c. 13. & adversus Praxeam cap. 2.
Respondet distinguendo antecedens: Et Tertullianus Symbo-
lum integrum non describit, prout ab Apostolis traditum est, con-
cedo: & illud describit omnino ut est ab Apostolis traditum, nego.
His enim in libris Tertullianus præcipua duntaxat Symboli capi-
ta representat, quibus errores tunc regnantes, scilicet Praxæe,
Valentinianorum, Marcionitarum, Apellitarum confodieban-
tur. Verum hoc non sufficit, nec pondus argumenti immi-
nuit, quum Tertullianus Scripturæ potius Canonem, quam
Apostolicum Symbolum intelligat, quod eius verba testan-
tur cap. 37. de Præscript. pariter ab Alexandro prolata: *In ea
regula incedimus, quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo,
Christus a Deo tradidit.* Id liquet ex proprietatibus & conten-
tis, quæ Regulæ Christianorum tribuit Tertullianus, & in
Scripturæ quidem codice reperiuntur, in Symbolo vero de-
sunt. Nam multa addit Tertullianus, multa omittit. Si igitur
addita illa pertinent ad regulam fidei, quod ait Tertullianus,
Symbolum Apostolicum imperfectum erit, quod est contra
communem Pontificiorum hypothesin: quod si vero omissa
non pertinent ad fidei regulam, Symbolum abundabit. Qua-
re non opus erat altera responsione, quod *in Confessione Spi-
ritus Sancti, quem Filius misit, ut vicariam vim, qua credentes
agat, & ut Sanctificatorem Fidei eorum, qui credunt, inuolua-
tur implicite articulus de Ecclesia, de communione Sanctorum,
& remissione peccatorum: neque enim hoc quisquam negat,*
cei*

ceum aliquoties commonui: nec consequitur exinde, Tertul-
liano cognitum fuisse hodiernum Symbolum Apostolicum.
Perspexit id ipse Alexander, proinde aliam elabendi rimam
quæsiuit, & *Tertullianum Pseudoprophetiis Montanistarum*
adflatum, nec Ecclesiam Catholicam, nec remissionem peccatorum
in Ecclesia & ab Ecclesia disertis verbis profiteri voluisse, adeoque
ex industria supramemoratos Symboli Apostolici articulos omi-
sisse. Sed vanum hoc esse effugiū quilibet fatebitur, qui tria ista
scripta a Tertulliano ante lapsum in Montani hæresin com-
posita esse cognoverit, quod in libro de scriptoribus Eccle-
siasticis obseruat Bellarminus, nec diffitetur Alexander, quan-
do Synops. Sæc. II. cap. IV. Artic. 8. libros a Tertulliano aduer-
sus Ecclesiam scriptos enumerans, tres citatos illis non ac-
censet. Melius sane fecisset, si in citandis Patrum pro Sym-
bolo Apostolico testimoniis ita vt alibi se gessisset, dum Na-
zianzenum in Oratione de Athanasio Confessionem eius
commendantem, non Symbolum, quod sub nomine Atha-
nassi circumfertur, sed Epistolam Synodicam ad Iovinianum
Imperatorem missam in animo habuisse docuit.
Ex quibus omnibus liquet incogitantia Caroli le Cointe
To. III. Annal Ecclesiast. Francorum Anno Chr. 663. n. XXII.
quando dicit, id quod de Symb. Apostolorum vulgo dicitur,
antiquissimam esse Ecclesie traditionem, de qua nefas dubitare.

IX. Quum igitur hætenus constet, Symbolum ab Apo-
stolis *αὐτολεξεί* profectum non esse, varias diversorum conie-
cturas recensebimus, quo tempore id compositum fuerit, &
quæ nobis videatur verosimillima, exponemus. In duas au-
tem partes abeunt eruditi, & alii Auctores eius statuunt
hæreticos, Arianos vel Photinianos, alii in Romana
Ecclesia conditum censent. De illis videatur Christoph.
Sandius Eucleatæ Historiæ Eccles. Lib. I. pag. 52. 53.
qui præterea Libro secundo p. 167. scribit: *Nos produxi-*
mus saculo 1. ex antiquitate opinionem, qua statuitur Symbolum
ipsum Apostolicum esse compositum in Concilio Nicæno: hanc opi-
nionem vt cum moderna conciliemus, non meliorem viam aliam
reperimus, quam vt adferamus, Symbolum Apostolicum in Conci-
lio

lio Nicæno esse compositum ab Arii homodoxis, Symbolum autem modernum Nicænum ab Osio Cordubensi, Alexandro Alexandri- no, Marcello Ancyrano, & Eustathio Antiocheno, Homousianis & Sabellianis seu Samosatēnianis.

X. Equidem primariam Sandii hypothesin, quasi ab Arii homodoxis confectum sit Symbolum Apostolicum, refutavit celeberrimus Argentinensium Theologus D. Baltasar Bebelius, Tomo priori Antiq. Eccles. Sæculi quarti, eamque non modo *nullo antiquitatis testimonio probari* Artic. IV. §. 25. observavit, sed etiam §. 46. coniecturam præsertim de Marcello infirmam reddidit. Præterea illa Marcelli confessio, vtut in plerisque breuiori Romanæ Ecclesiæ Symbolo accedat, non tamen in omnibus cum illo conuenit, vti ex Vsserii collatione liquet; nec adeo hodierni Apostolici *ἰστορίῳ* sequitur, quod etiam a B. Dorscheo est observatum. Quis vero mirabitur, Marcellum Romæ fidē suam exponentem Romani Symboli formæ sese adcommo- dasse? Nec sibi constat Sandius, quando baptismum in confessionem Symboli 318. Patrum de Symbolo Apostolico exponit, non animadvertens, neutiquam Arianos, sed orthodoxos, quos per calumniam Homousianos vocat, auctores Apostolici Symboli fore adsignandos, qui tamen alias cornicum, vt dicitur, oculis configere cupiebat: imo *hæc argumenta tanti non sunt, vt paradoxa opinioni fidem concilient*, iudicante & ostendente laudato Bebelio §. 48. cui addendus Io. Casp. Suicerus, To. II. Thesauri Eccles. pag. 1099. post Vsserium egregie commonstrans, quomodo in Nicænum Symbolū se baptizare & baptizatos esse dixerint Veteres. Præterea nemo mirari debet, quod *ἰστορίῳ* expressa in Symbolo nostro non fiat mentio, nec Arianismi statim illud postulare, quam satis fuerit in Symbolo Nicæno vocem illam diserte exstare, nec proinde necessarium, antiquioribus Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis Symbolis eam inferere: & aliunde pateat, aliis quoque fidei confessionibus, quas Orthodoxi & Arianis infensissimi homines ediderunt *ἰστορίῳ* citra hæreseos suspicionem omissum esse, quod prolixè ostendunt D. Io. Georg. Dorscheus Collat.

Collat. ad Concil. Sirm. p. 135. 136. & nuper Emanuel a Schelstrate in Vindiciis Concilii Antiocheni Disp. III. cap. I. n. 4. cap. II. n. 3. Ex quibus omnibus colligitur, quid sentiendum sit de viri cuiusdam inter Nostrates clarissimi verbis, Histor. Eccles. Sæc. III. §. 15. *Heretici, ac nominatim Photiniani, Symbolum, quod dicitur Apostolicum, ea serie, qua hodie exstat, collegisse & disposuisse haud absurde videntur. It enim hoc agebant, ut Christum pro merito homine haberent, perinde ac Ariani, ut vocabulum ὁμοούσιος ex libris animisque hominum tolleretur: igitur quarebant, ut taterent; adeo quidem, ut affirmarent Ariani, se nolle uti vocabulo ὁμοούσιος, si Orthodoxi pariter omittere vellet vocabulum ὁμοούσιος, quod hi tamen omni iure recusabant.*

XI. Quando autem Symbolum modernum Nicænum ab Homousianis & Sabellianis, seu Samosatensianis compositum censet Sandius, præterquam quod contradictionis crimen iterum incurrit, dum hoc loco Marcellum Ancyranum Symboli huius conditoribus ac Homousianis accenset, quem antea Photini Doctorem ac Symboli Apostolici auctorem dixerat: grauisimo sane sibi que solenni errore orthodoxam de Trinitate sententiam confundit cum hæresi Sabelliana & Samosatensiana. Vnde merito reposuit Bebelius noster §. 52. *Antiquam hanc esse Arianorum calumniam, qua Homousianos criminari solebant, sexcenties refutatam, quoties ostensum est, Homousianos, tres quidem inter sese realiter distinctas personas, ὁμοούσιος tamen, statuisse, quid clarius contra Sabellium & Paulum Samosatenum ullus dixerit? Per realem enim personarum distinctionem, Sabelliana confusio; per ὁμοούσιος vero Samosatensiana ἐτεροούσιος funditus evertitur. Cæterum Hosium fuisse auctorem Symboli, ex Epistola Athanasii ad solitarios probat D. Bebelius: pro Hermogene, Leontii in sede Cæsariensi successore & in Concilio comite, pugnat Franc. Combefisius in Historia Monothelitarum, & Manipulo rerum originumque CPtan. p. 146 147. Græci vero pro Eusebio Cæsariensi, testante Gregorio Trapezuntio Præfat. in Latinam versionem Præparat. Euang. Eusebianæ, Vtramque sententiam admitti posse iudicant*

C

dicant



dicant Celeberrimi Academiae nostrae Doctores, D. Calouius Theol. Natur. & Reuel. cap. 1. §. 17. & D. Io. Andr. Quenstedtius in Dialogo de patriis illustrium virorum pag. 555. *distinctione adhibita, quod Eusebius quidem matricem & initium Confessionis dederit, complementum vero ab Hosio profectum videatur.* Similis conciliatio institui potest cum cæteris, si Hosius Symbolum dicatur eo quo prodiit ordine concepisse, Hermogenes vero ut amanuensis & scriba synodi litteris consignasse. Neque enim absque causa de Hermogene dixerit Basilius, *τὴν μεγάλην καὶ ἀρρήκτον πίσιν γέγρανται ἐν τῇ μεγάλῃ συνόδῳ.* de Hosio vero Ariani apud Athanasium, *ἔγραψεν καὶ τὴν ἐν Νικαίᾳ πίσιν ἐξέθετο.*

XII. Antequam hinc abeamus, ea quæ de Valla & Iesuitis admiscet Sandius, considerata veniunt. Ad prius spectat observatio Ioan. Henr. Hottingeri Lib. III. Bibliothecar. Quadri part. cap. I. n. 2. quando de Commentatoribus in Symbolū Apostolicum agens *inter recentiores occurrere monet calumniā Theologicam Laurentio Valla olim intentatā, quod negasset Symbolum membratim articulatumque per Apostolos esse compositum.* Quid hoc scripto præstitum fuerit, indicandum relinquimus illis, quibus inspiciendi copia est. Non ingratum vero erit beneuolo Lectori, si inquiramus accuratius in crimen horrendum, quod Iesuitis ex Scioppio impingit Sandius, eiusque fidelis pedissequus Hermannus Cingallus in Scriptura S. Trinitatis Revelatrice pag. 68. Equidem apud omnes fere eruditos certum est, Gasp. Scioppium librum istum conscripsisse, uti in primis probauit Vinc. Placcius de Scriptor. Pseudonym. n. 860. nec abhorret ista scribendi ratio a mordaci Scioppii ingenio, quod in Iesuitas quoque varia opuscula concinnando exercuit, eorumque indicem inter anonymos n. 248. idem Placcius exhibuit. Sed facinus quod in Symbolo Apostolico corrumpendo a Iesuitis perpetratum scribit, emollire conatus est Theophilus Raynaudus, ex eorum societate scriptor non incelebris. Confecit is volumen de bonis malisque libris, in quo *de ratione censurarum nimium libere loquutus se ipsum censeri fecit Rome*, prout adnotant eruditi Galli Ephemer.

meridum Tom. III, pag. 71. edit Lat. sed correctis tandem,
quæ Censoribus Romanis displicebant, in lucem prodiit liber
Lugduni An. 1653. in cuius Partit. III. Erotem. III. n. 515. ex-
hibetur ipsum illud scriptum, quod respicere videtur Sciop-
pius. Etenim Iesuita Anglus indigne ferens varia suorum
scripta a censoribus configi, monstrare voluit eadem configen-
di, & circa Catholicorum scripta tricandi licentia. fas fore Sym-
bolum ipsum Apostolorum, fidei nostræ regulam, configere, quæ
verba sunt Raynaudi. Nec defuerunt inter Pontificios, qui
audaciam hanc improbarent, uti num. 528. addita hominis
defensione idem commemorat: *Non me latet, nuper Petrum
Aurelium in hanc scriptionem vomuisse pleraque virulenta,
quasi id sit illudere verbo Dei. Sed hac est plane friuola crimi-
natio: huiusmodi enim ad homines re criminationes a viris piis
in non dissimili materia sunt adhibita. Similiter auctor censu-
ra Symboli Apostolorum, noluit eam fidei regulam conuellere: sed
monstrare, quo possit progredi malignitas ineptiens. At-
nim uero non potuit aliorum criminationes effugere Raynau-
dus, quare lucubrationi de malis e bonis Ecclesiæ, male, siue
captatis siue dispensatis, an. 1654. Lugduni editæ prolixum
subiunxit Parergon, e quo in primis sequentia notatu digna sunt:
Quod tamen acceperim, eam cauillatoriam symboli Apostolici
confixionem ab homine anglo & docto & pio concinnatam, a me
autem pro paradigmate cauillatoria censura relatam, & serio
improbatam, quibusdam viris gravibus non probari; consilium
hac in parte meum candidè aperui, ut pridem feci datis literis ad
Illustrissimum Franciscum Antonium Diez de Cabrera, Inquisi-
torem Toletanum, a quo de eo scrupulo nonnullos sollicitante cer-
tior fueram factus. Ad plenam autem scrupuli exemptionem
placet, ut in prima eiusdem operis mei recusione, totum illud cen-
sura ridicula paradigma, siue uniuersa Symboli Apostolici confi-
xio iocularis, expungatur: Mea enim (ut præmissi) non fuit ea
censura, sed Theologi Angli Catholici. Quem umbonem mea hac
in parte innocentia potuissim prætereundere, cum ipsa diuina scri-
ptura, nude referens pleraque falsa, extra noxam sit. Vtrum
vero in altera operis editione, quæ, quod sciam, alias facta non*

est, nisi in sumtuosis omnium Operum Raynaudi nouendecim Voluminibus, censura illa expuncta sit, videant illi, quibus ea ad manus sunt. Nos leuitatem Raynaudi & Iesuitarum inconstantiam improbantes ad cæteras de Symbolo Apostolico opiniones pergimus.

XIII. Qui Romanam Ecclesiam pro Symboli conditricem venditant, non conueniunt inter se, quando ad compositionem eius se accinxerit. Equidem in eo omnes consentiunt, non vno tempore vniuersam hodie exstantem formam structuramque efformatam esse, sed successiue in eandem excreuisse. Id quod in primis Articulo de descensu Christi ad inferos docet, qui ex Rufini relatione in antiquo & breuiori Romanæ Ecclesiæ Symbolo non reperiēbatur, in hodierno vero exstat. Equidem nonnulli censet, hanc additionem factam esse Sæc. XII. a Thoma Aquinate: verum refelluntur cum aliis argumentis, a Dannhauero pag. 412. 413. indicatis, tum antiquis Symboli versionibus Germanicis, Francica nimirum a Lehmanno in Chron. Spir. p. 197. exhibita, & Saxonica, quam cum notis dedit Marq. Freherus: vtramque vero descripserunt Marcus Zuerius Boxhornius, tam in primis Religionis Christianæ monumentis seorsim editis, quam in Historia Vniuersali pag. 101. 102. & Io. Henr. Vrsinus in Compend. Histor. de Eccles. German. pag. 126. qui tertiam adiecit ex Psalterio Notkeri apud Vadianum lib. 2. de Monaster. German. In his enim omnibus sepulturæ & descensus Christi distincta mentio fit: vt in Francica, *tot / enti pierapan / stebie in wizzi*: in Saxonica, *he was dead / an bebyrged*. And he nyther astah to helle: in Notkeriana, *unde begraben ward / ze Helle fuor*. Vnde patet, Versionem Francicam & Saxonicam non esse tantæ antiquitatis, quantam venditat Boxhornius, quasi *haud dubie scripta tunc essent, cum Germania nostra nationibus Evangelica & Apostolica doctrina primum traderetur*. Vt enim Irenæus lib. 1. aduersus hæreses c. II. mentionem faciat fidei ab Apostolis eorumque discipulis traditæ Germanis: non

Immo Transrhenanam illam tamen transrhenanam intelligit Germaniam, quam iuxta Tertullianus cum aliis Franci in primis Saxonesque inhabitabant, utpote adu. Iud. c. 7. qui cum Germanorum loca Christo aque ac Dacorum & Scytharum subdita scripsisset, ibidem id de Transrhenanis his verbis explicat: *Germani adhuc vsque limites transgredi non sinuntur*.

ferius ad Christum conuerſi, ſed ciſrhenanam, quod præ-
clare monſtrauit CL. Schurzſleiſchius noſter Diſſert. in qua-
dam capita Hiſtoriæ Saxonicæ an. 1676. edita: ex quo colligi-
tur, vtramque Symboli verſionem poſt ea demum tempora
confectam eſſe, quibus additio iam tum facta erat. Conf. D.
Bebelii Antiquit. Eccleſ. Argent. Artic. II. §. 3. & Artic. III.
Sect. II. §. 1. Sect. IV. §. 1.

XIV. Exponemus nunc varias eruditorum opiniones de
origine Symboli. Sunt, qui eam referunt ad ſæculum quar-
tum, eorumque promachus communiter cenſeri ſolet Ger-
Io. Voſſius, quem *ἡ πρόδα* ſequitur Suicerus, nec adeo diſſentit
Io. Hoornbeek Lib. I. Miscell. c. 1. p. 40. Sed merito a Theologis
noſtris hæc opinio refutatur, e quibus D. Ioan. Hülſemannum
Prælect. in Form. Conc. Art. IV. c. X. §. 4. D. Io. Georg. Dor-
ſcheum in Collegio Didascalico MS. apud Matth. Zimmer-
mannum Anal. Miscell. Menſe V. c. 2. & D. Io. Tob. Maior-
em Diſſert. de Symbolis n. 23. laudasse & primi verba addu-
xiſſe ſufficiat: *Veruntamen, quod ille (Voſſius) primam Sym-
boli Apoſtolicæ originem ad quartum demum a Chriſto nato ſæcu-
lum refert, ubi propter diuerſas hæreſes demum cœperit conſcribi
eiſmodi formula fidei, exigig, a Catechumenis, in eo fruſtra eſt.*

XV. Optime autem Fridericus Spanhemius Introduct.
ad Hiſtor. Eccleſ. Sæc. II. c. 3. *Verſimillimum eſt in Romana Eccle-
ſia Symboli Apoſtolicæ iacta eſſe hoc ſæculo, in Competentium
uſum, fundamenta, quoad primarios Articulos, de fide in Deum
Patrem, Filium & Spiritum S. Eadem fuere & Orientalis Sym-
boli illa, quo uſa ſunt orientis Eccleſia ante Nicanam Synodum.*
Quæ ſententia uti noſtræ proxime accedit, ita illius probatio
paullo altius repetenda eſt. Etenim luculentis veterum ſcri-
ptorum testimoniis conſtat, tam Orientis quam Occidentis
Eccleſias Symbola certa fideique formulas habuiſſe & Cate-
chumenis tradidiſſe. Certe de Romana Vigilii Thapſenſis in
Africa Episcopus, qui ſexto vixit ſæculo, lib. IV. aduerſus Euty-
chen ſcribit: *Vniuerſitas profitetur, credere ſe in Deum Patrem
omnipotentem, & in Ieſum Chriſtum, Filium eius, Dominum
noſtrum.* *Huic capitulo obidiſte calumniatur. Cur non dixit*

Symb. Eccle-
siae Romanae.

*in unum Iesum Christum filium eius, iuxta Niceni decretum Con-
cilio? sed Roma, & antequam Nicena Synodus conveniret, a tem-
poribus Apostolorum usque ad nunc, & sub beata memoria Cale-
stino, cui iste fidei testimonium reddidit, ita fidelibus Symbolum
tradidit: nec praeiudicant verba, ubi sensus incolumis permanet.
Cardinalis quidem Bona Tract. de Divina Psalmidia cap.
XVI. §. III. hac de Symbolo hodierno Apostolico intelligit,
sed contrarium ostendit D. Calovius §. 53. Forte Vigilius respexit
brevis illud Romanae Ecclesiae Symbolum, quod aliquoties
commemoravimus, & ex Codicibus MStis, sublatis barbaris-
mis, hunc in modum exhibuit Vsserius: Credo in Deum Pa-
trem omnipotentem: & in Christum Iesum filium eius unicum,
Dominum nostrum; qui natus est de Spiritu Sancto & Maria
virgine, qui sub Pontio Pilato crucifixus est & sepultus, tertia die
resurrexit a mortuis, ascendit in caelos, sedet ad dextram Pa-
tris, unde venturus est iudicare vivos & mortuos. Et in Spiri-
tum S. sanctam Ecclesiam, remissionem peccatorum, carnis resur-
rectionem. Clarius brevioris Symboli meminit Hieronymus,
qui Romae in adulta aetate baptisimo tinctus est, epist. 61. ad
Pammachium: In Symbolo fidei & spei nostra, quod ab Aposto-
lis traditum non scribitur in charta & atramento, sed tabulis cor-
dis carnalibus, post confessionem Trinitatis & unitatem Ecclesiae
omne Christiani dogmatis Sacramentum carnis resurrectione
concluditur. In caeteris Occidentis Ecclesiis ab antiquissimis
temporibus non quidem eadem prorsus, sed similis tamen fi-
dei formula extitit, quod de Aquileiensi prolixè docuit Ru-
finus, & ex Irenaeo confirmari potest lib. 1. cap. 2. Ecclesia per
universum orbem usque ad fines terrae seminata, & ab Apostolis
& a discipulis eorum, accepit eam fidem, quae est in unum Deum
Patrem &c. Probe notanda est loquutio Irenaei, Apostolis
discipulos eorum iungentis, ut indicet, non ab ipsis Apostolis
Symbolum αὐτολεξῆς traditum esse, sed fundamento ab iis ia-
cto discipulos caetera superstruxisse. Unde etiam B. Dann-
havero ab Apostolicis viris collectum dicitur.*

XVI. Caeterum probabile non est, Ecclesiam Orientalem
non habuisse peculiare suum, ab Occidentali distinctum, Symbo-
lum

lum, iudice Bebelio nostro num. 47. quod non modo liquet
 ex argumentis Vosfii §. 30. 46. & sq. & collatione Rufini, sed
 etiam aperte colligitur ex Symbolo, quod in Nicæna Synodo
 exhibuit Eusebius, hoc commendatum elogio: Καθώς παρελά-
 βομεν παρά τῶν πρὸ ἡμῶν Ἐπισκόπων καὶ ἐν τῇ πρώτῃ κατηχήσει, καὶ
 ὅτε τὸ λᾶτρον ἔλαμβάνομεν. καὶ καθὼς ἀπὸ τῶν θείων γραφῶν μεμαθήκα-
 μεν, καὶ ἐν τῷ πρεσβυτερίῳ καὶ ἐν αὐτῇ τῇ Ἐπισκοπῇ ἠπιστεύσαμεν τε καὶ
 ἐδιδάσκομεν, ἔτω καὶ νῦν πιστεύοντες, τὴν ἡμετέραν πίσιν ὑμῖν προσανα-
 φέρομεν. Vid. Eusebii Epistola ad Cæsareenses apud Socratem,
 lib. I. cap. V. al. IIX. Theodoretum lib. I. c. XI. aliosque, & insti-
 tuatur collatio cum Romano siue breuiori, siue longiori,
 quod hodie Apostolici nomine venit, & *illa a sese inuicem
 discrepare*, monente Bebelio, facile deprehendetur. Quem-
 admodum vero in cæteris Occidentalium Ecclesiarum Sym-
 bolis non identitas cum Romano, sed insignis saltem simili-
 tudo reperitur, ita a Cæsareensi quoque, quod recitauit Eu-
 sebius, in quibusdam variabant Symbolum Ecclesiæ Hiero-
 solymitanæ a Cyrillo Hierosol. explicatum & Alexandrinæ ab
 Ario Constantino Imperatori oblatum apud Socratem lib. I.
 cap. 26. vti Vsserius obseruauit, & proinde recte monuit,
*apud Orientales duo exstitisse Symbolorum genera, contractius
 unum (quod cum Romano & Aquileiensi Rufinus contulit;) fu-
 sius & explicatius alterum.* Eo faciunt verba Chrysostomi
 Homil. XL. in I. ad Cor. qui Symbolum in CPTana Ecclesia
 vsitatum resurrectionis confessione finiisse diserte docet:
 Μετὰ τὴν ἀπαγγελίαν τῶν μυστικῶν ῥημάτων ἐκείνων καὶ φοβερῶν, καὶ τῆς
 φρικτῆς κανόνας τῶν ἐκ τῆς ἕραν κατενεχθέντων δαγμάτων, καὶ τῆ το πρὸς
 τῷ τέλει προστίθεμεν, ὅταν μέλωμεν βαπτίζειν, κελεύοντες λέγειν, ὅτι πι-
 στεύω εἰς νεκρῶν ἀνάστασιν, καὶ ὅτι τῇ πίσει ταύτῃ βαπτίζομεθα· μετὰ τὸ
 ὁμολογήσαι τῆτο μετὰ τῶν ἀδῶν, τότε καθιέμεθα εἰς τὴν πηγὴν τῶν ἱερῶν
 ναμάτων ἐκείνων.

XVI. Eiusmodi vero articulorum fidei collectionem in
 Orientis quoque Ecclesiis sæculo iam tum secundo exstitisse
 ex Eusebii ad Cæsareenses verbis non obscure colligitur, &
 diserte testatur supra laudatus Irenæus, quando *Ecclesiam
 uniuersalem* nominans Orientalem non minus quam Occi-
 dentalem complectitur. Quare non opus est, ut confugiamus
 ad

ad Liturgiam Iacobi ἀδελφότης supposititiam cum Vsserio, vel
ad interpolatam Ignatii ad Magnesianos Epistolam & aliam
ad Philippenses Polycarpo tributam. Equidem Vsserius di-
stinctionem paullo ante adlatam declaraturus scribit: *Prior-
is generis fuit Hierosolymitana, Ecclesiarum omnium matris,*
illud: Πιστεύω εἰς ἕνα θεὸν πατέρα παντοκράτορα, ποιητὴν οὐρανοῦ καὶ γῆς. καὶ
εἰς ἕνα Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ. καὶ τὰ ἐξῆς τῆς Συμβολῆς τῆς
πίστεως. Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem
cæli & terræ. Et in unum Dominum Iesum Christum, Filium
*Dei. Et reliqua Symboli fidei; quemadmodum in Ecclesiæ Hië-
rosolymitana veterè Liturgia legitur; quæ B. Iacobo, ut primo se-
dis illius habito Episcopo tribuitur, & in antiquitatis memoriam*
etiam adhuc Hierosolymis semel in anno celebrari dicitur. Et quia
*cetera quæ sequebantur (quod serio dolemus) ut maxime tum no-
ta, brevitatis causa sunt hic ommissa: ut aliquo ea iactura resar-
ciretur modo, integram ἀγίαν καὶ ἀποστολικὴν πίστιν, sancta & A-
postolica fidei Confessionem, licet (ut ex visibilibus omnium &
inuisibilibus mentione, sub initium facta, apparet) aliquanto*
auctiorem, sicut Hierosolymis a Cyrillo φωτισμένους fuit explicata,
*ex Catechesibus ipsius undique collectum, visum fuit illius quo ca-
remus loco substituere.* Quamquam autem non inviti lar-
giamur, veterem illam Ecclesiæ Hierosolymitanæ Liturgiam
sub Iacobi nomine venire, quod ostendit Io. Dallæus de Cultu-
bus Religiosis Latinorū pag. 506. & 1283. nec negant ex Pontifi-
ciis Petrus de Marca Dissert. de Sacramento Euchar. p. 15. & Iu-
lius Cæsar Coturius in Epitome Controversiarum pag. 146.
172. non tamen pro certo adseuerare dubitamus, Symbolum
a Cyrillo expositum antiquiorē exhibere formulam, quam
alterum in Liturgia significatum, (quod Nicænum esse ex mox
dicendis constabit) proindeque illud præferendū esse & mon-
strare confessionis fidei rationem ante Nicænam Synodum
in Ecclesia Hierosolymitana vsitatam. Plerorumque hodie
eruditorum consensu constat, Liturgiam illam ab ipso Iaco-
bo non esse confectam, & frustraneas esse omnes apologias,
quas vel peculiaribus scriptis ediderunt Guil. Lindanus &
Leo Allatius, vel Franciscus Feuardentius in Theomachia
Calvi-

Caluinistica lib. XII. c. 15. Cardinalis Bona lib. i. rerum Liturgicarum cap. V. n. 4. cap. IIX. n. 3. alique complures meditati sunt; nec maiori fide & industria iis suppetias ferre conatos Abrah. Ecchellensem Notis in Capitulum 29. Catalogi librorum Chaldaicorum ab Ebediesu confecti, & in Epistola ad Ioan. Morinum, quæ est LXXXV. in Antiq. Eccles. Orientalis Londini editis, ac Athanasium Kircherum Chinæ Illustratæ P. I. cap. 5. in auxilium vocando scriptores Orientales, sed vel supposititios, vel recentiores. Quamobrem post Isaacum Habertum ad Pontif. Græc. p. 164. & Natalem Alexandrum Synops. Sac. I. c. XI. Art. I. existimationi suæ bene consuluit Richardus Simonius, homo ex Critica V. T. Parisiis Vulcano consecrata satis motus, qui nunc *Sieur de Simonuille* vocari vult, in Supplemento ad R. Leonis Mutinensis libellum de Ceremoniis & Ritibus Iudæorum, vti tradunt Acta Eruditorum Lipsiensium Kalendis Aprilis huius anni publicata pag. 137. 138. quando Liturgias tum cæterorum Apostolorum tum in primis Iacobi nomine falso insigniri iudicavit. Quod hoc ipso argumento de Symbolo in Liturgiis dicendo euinci potest. Etenim non modo ex Reformatis Ioan. Hoornbeek lib. I. Miscellan. cap. XIIX. pag. 553. & Io. Casp. Suicerus To. II. Thesauri Eccles. pag. 1097 1098. sed etiam ex Pontificiis Cardinalis Bona Lib. II. Rer. Liturg. c. IIX. §. 2. & Emanuel a Schelstrate Concil. Antioch. Can. II. cap. 6. §. 6. fatentur, *Symbolum fidei primis sæculis decantatum non fuisse post Euangelium, sed hoc recentius Liturgiæ additum esse.* Noueris autem, ea de alio Symbolo non intelligi, quam de Nicæno cum additionibus in Concilio CPrano factis: illud enim, non aliud, volunt omnia veterum scriptorum de Symbolo in Liturgiis dicendo loca. Vnde clarissime adparet, ante sextum sæculum (quo primum iste mos in Ecclesia tam Orientali quam Occidentali receptus est) Liturgiam Iacobi non fuisse compositam, in qua Symboli recitatio præcipitur. Non igitur temere fides adhibenda Alexandro ex vsu Trisagii in hac Liturgia coniciienti ipsam fuisse concinnatam tempore Felicis III. Pontif. Maximi, qui vixit anno Christi 480. quanquam Trisagii origo ad Concilii Chalcedonen-

D

sis

sis tempora, id est, ad annum CCCCII. videatur esse reuocanda.
doctissimo Auctori Dissertationis de Trisagii Origine cap. II,
quam sententiam pridem proposuerat Iacobus Eueillon de
Process. Ecclesiast. cap. IV. Quare mirari par est Schelstra-
tium, quando recentiore esse illum Symboli vsum diserte
confitetur: attamen cap. VI. consensum Alexandro quoad
ῥοθειῶν Liturgiæ præbendum suspendit: non minus ac Allatium,
Dissert. I. de Libris Eccles. Græc. p. 17. haud obscure dubitan-
tem, an Procli Patriarchæ CPTani sit tractatus *de traditione di-
uina Liturgiæ*: sed in Epistola illa ad Nihusium sine vlla dubi-
tatione eundem admittentem, cuius sententiæ falsitatem se
demonstraturum promisit vir doctus proxime citatus, Dis-
sert. de Trisag. cap. I. Nec sibi constat Vsserius, quando pag.
16. sq. præclare ostendens, quò tempore Symbolum Nicanum,
prout in Concilio CPTano expositum est, in Liturgiis adhiberi
consueuerit, nō animadvertit, idem intelligi in Liturgia Iaco-
bi, quæ non alio sensu Symbolum dici præcipit, quam cæteræ
Liturgiæ, siue Pseudepigraphæ, siue nomina suorum auctorum
recte præferentes.

XVIII. Alii cum B. Dorscheo ipso *i. seculo post Christum*
natum illius collectionis articulorum aliqua vestigia esse dicunt,
prouocantq; ad Ignatii Epistolam ad Magnesium pag. 59. edit. *Ve-*
delii, qui primo articulo prætermissio fere totum secundū comme-
moret. Verū quod pace summorum virorum dictum sit, hoc ar-
gumento uti nolim: verba enim ista desumpta sunt ex interpo-
lata Ignatianarum editione, quum in puriori Vosii & Vsserii
hæc tantum legantur pag. 36. edit. Londin. *ἀπὸ πεπληροφο-*
ρεῖσθαι ἐν τῇ γενήσει, καὶ τῷ πάθει, καὶ τῇ ἀναστάσει τῇ γενομένῃ ἐν καιρῷ τῆς
ἡγεμονίας ποντίου πιλάτου, παραχθέντα ἀληθῶς καὶ βεβαίως ὑπὸ Ἰησοῦ χριστοῦ
τῆς ἐλπίδος ἡμῶν. Nec quenquam eruditorum latet, quam in-
firmis pedibus nitatur omnis Ignatianarum *γνησιότης*, tot hac-
tenus telis a summis in his literis viris impugnata. Pari incer-
titudine laborant, qui Polycarpi ad Philippenses epistola
nituntur, de qua magnæ auctoritatis Viri non immerito dubi-
tant. Rem omnem exponit B. Dorscheus in citato Collegio
apud Zimmerm. *Mense VI. cap. I. Polycarpi Epistola ad Philip.*

pre-

præterquam quod ne attingat quidem Symbolum, ut adeo constare nequeat, quem articulum receperit vel non receperit, supposititia est, nec Maiestati Spiritus, quam passim Historia Ecclesiastica in Polycarpo fuisse tradit, respondet, uti notat Rivetus Crit. S. L. II. c. 3.

XIX. Denique non est prætereunda Græcorum & Latinorum de Symbolo Apostolico disceptatio, in Concilio Florentino per Iulianum Cardinalem & Marcum Ephesium, quorum illum Latinorum, hunc Græcorum os merito dixeris, agitata, quam Sylvester Sguropulus Sect. VI. c. VI. Historiæ Concilii illius proposuit. Postquam enim is recensisset Iuliani sermones de Symbolo ab Apostolis in Synodo congregatis edito, subiicit de Ephesio: *Ἐκ τῆς συνόδου τῶν ἀποστόλων, καὶ συμβόλου αὐτῶν εἶπεν, ὅτι ἡμεῖς ἔτε ἔχομεν, ἔτε εἶδομεν σύμβολον τῶν ἀποστόλων &c.* Ex qua Græcorum opinione satis patet, quid tribuendum sit Petri Lambecii obseruationi de Codice Græco Theologico CCL. Bibliothecæ Cæsareæ, Libro V. Commentariorum pag. 151. 152. in quo post alia continetur *Symbolum Sanctorum Apostolorum diuisum in duodecim sententias, quarum unicuique in margine adpositum est nomē Apostoli, qui illam Symbolo contulit. Ordo autem Sanctorum Apostolorum est ibi talis; Petrus, Andreas, Iacobus Maior, Ioannes, Thomas, Iacobus Minor, Philippus, Bartholomæus, Simon, Thaddæus, Matthias.*

XX. Hactenus recensuimus varias Symbolorum formas, quæ tam in Orientis quam Occidentis Ecclesiis usitatae fuerunt, vidimusque nullam vulgari Apostolico magis conuenire, quam breuius Romanæ Ecclesiæ Symbolum, quod Rufinus cum Orientali & Aquileiensi contulit & Vsserius edidit. Quæ res uti sententiam clarissimorum virorum de Romana Ecclesia Symboli conditricæ adprime confirmat, ita suadet, ut porro inquiramus, an coniectura possimus adsequi, quo tempore in hodiernam formam redactum sit; id enim a nemine Veterum memoriæ proditum legimus. Vsserius ex Psalterio Græco & Romano, Latinis utroque literis descripto, Symbolum hoc exhibuit, nouis additamentis characteris alio genere discriminatis. Vnde colligimus, Gregorii Magni ætate, qui circa confinia



sæculi VI. & VII. vixit, Symbolum Apostol. ea forma & serie,
 qua hodiernum utimur, in Ecclesia Romana locum habuisse.
 Nam Psalterium hoc *Papa Gregorii* fuisse præfert titulus, ob-
 seruante Vsserio, quod pariter testatur Tho. Iamesius Lib. I.
 Eclogæ Oxonio-Cantabrigiensis pag. 83. *Psalterium Latino-*
græcum. Græcum respondet Latino e regione positum, & scriptum
est Romanis characteribus. Notatur ex quodam vetere, fuisse
Psalterium Gregorii. Nec obstant, quæ addit Vsserius, *scriptu-*
ram auo Gregorii longe esse posteriorem. Etenim præterquam
 quod *antiquum fidei Symbolum Latino-Gothicis in Codice illo*
membranaceo depictum literis reperiatur, referente *ἰωάννης*
 Ioan. Rodolfo Wetstenio Orat. V. de Lingua Græcæ pronunc.
 pag. 118. 119. illum vero scribendi modum Gregorii tempori-
 bus adprime conuenire ex Animaduersionibus Leonis Allatii
 in Antiquitatum Etruscarum fragmenta aliorumque Anti-
 quariorum obseruationibus constet: certe ipse Vsserius ger-
 manæ antiquitatis testimonium Psalterio illi præbuit in Epi-
 stola ad Vossium eidem Diatribæ præfixa, quod *Gregorii I.*
tempore non fuisse recentius tum ex antiquo pictura genere colli-
gitur, tum ex literarum forma graduscula. Quæ & ea de causa
 notanda sunt, quoniam a nonnullis solet hic Codex allegari
 in controuersia de Symbolo Athanasiano, quippe quod in eo-
 dem exstare refert Vsserius. Verum ut non attingam, sub *fidei*
Catholica titulo Symbolū hoc in MSto exhiberi, non expresse
 addito Athanasii nomine: opponi saltē potest opinioni de Atha-
 nasiano Symbolo Vossianæ, quod fecerunt Vsserius & le Coin-
 te, neutiquam vero Quenellianæ, quam sequitur Alexander.

XXI. Vtcunque autem se habeat Codicis istius antiqui-
 tas, ante Gregorium Magnum Symbolum Apostolicum serie
 hodierna plene perfectèque adhibitum fuisse ex antiquissi-
 ma eius versione Francica supra adlegata colligitur. Etenim
 Francos transrhenanos sive Orientales sæculo sexto cura Clo-
 thildis, quæ Clodoueo Magno An. 511. mortuo nupsit, cœ-
 pisse conuerti, ex Gregorio Turonensi, aliisque nos docuit
 Celeberr. Schurzfleischius in Diatriba citata. Quis autem
 ignorat veterem catechizandi rationem, qua fidei confessio

vil. 8. 13.

Sym-

Symbolo comprehensa Catechumenis primum exponebatur? Traditum igitur fuit Germanis Symbolum in linguam eorum conuersum: nec quenquam dubitaturum arbitror, quin id ipsum, quod antea citauimus, a catechetis explicatum maioribus nostris fuerit, vti vel conuenientia cum stylo illis temporibus vsitato docet. Hoc igitur sensu libenter admittimus verba Boxhornii eodem loco citata, quod *hæc Francorum confessio tunc scripta sit, quum Germania nostra nationibus Evangelica & Apostolica doctrina primum traderetur.* Constat vero aliunde, primos Francorum Doctores Ecclesiæ Romanæ, a qua fuerant emissi, ritus adeoque & symbolum conuertendis instillasse. Quare nemo negauerit, sæculo sexto hodiernum symboli Apostolici ordinem obtinuisse. Imo eandem sæculo quinto perfecte exstitisse prima fronte colligere quis posset ex Leonis Magni Epistola XIII. ad Pulcheriam Augustam, vbi hæc leguntur: *Siquidem ipsius catholici Symboli breuis & perfecta confessio, quæ duodecim Apostolorum totidem est signata sententiis, tam instructa sit munitione cœlesti, ut omnes hæreticorum opiniones solo ipsius possint gladio detruncari.* Verba hæc in primis vrget Lambecius, nec omittunt Alexander & cæteri Symboli patroni. Non autem scrupulosius inculcabo ^{veritas} suspicionem, quæ in mentem mihi venit euoluenti octauam decimam Leonis epistolam, vbi eadem quæ in decima tertia reperiuntur contenta; sed hæc periodus plane omittitur: vt ferme cogitarim, octauam decimam a Leonis manu esse, sed priorem ab interpolatore aliquo auctam, eique hanc in primis laciniam adsutam. Cogitet ea de re studiosus Lector. Ego interim vt germana Leonis illa admittam verba, quum neminem ^ἢ *ἐν γνησιότητι* eorundem dubitantem hæctenus viderim, & concedam Leonem subinnuere traditionem, quæ postea ab omnibus Occidentalis Ecclesiæ scriptoribus suscepta est, ac si vnusquisque Apostolorum symbolam suam ad Symbolum perficiendum contulerit; sed Leonem intellexisse auctius hodiernumque Apostol. Symbolum prorsus nego, & neminem non mihi accessurum credo, qui hanc Vigilii Thapsensis paullo post supracitata verba epistolæ Leonis defensionem perpenderit,
& cum

& cum breuiori Romanæ Ecclesiæ Symbolo contulerit: Sed
 & hoc quoque mirandum est, cur non simili dementia reprehendit,
 (Eutythis lectator) quod ait (Leo) Qui natus est de Spiritu
 Sancto ex Maria virgine, quando hoc verbum Nicana synodus
 non posuit, & ut illi placet, hoc solum profiteri debemus, quod ibi
 scriptum inuenerimus. Equidem dubium non est, quin Leo,
 in Orthodoxæ fidei professione declaranda respexerit ad Symbolum,
 in quod omnes baptizabantur. At istius ætate aliud in Ecclesia Ro-
 mana non obtinebat, quam breuius supra ex Vsserio transcriptum,
 utpote cui inserta expresse reperiuntur, quæ tanquam a Leone in fidei
 confessione prolata laudat defenditque Vigilius. Verum in auctiori
 hodiernoque Symbolo aliter legimus: Qui conceptus est de Spiritu Sancto,
 natus ex Maria virgine. Ex quibus manifestum est, Lambecium, Alexan-
 drum, eorumque sectatores frustra Leonis consensum sibi polliceri. Cer-
 te traditio Leoni commemorata, non minus antiquo & breuiori, quam
 hodierno & auctiori Symbolo adplicari potest, uti ex collatione Ru-
 fini quilibet deprehendet: videturque a scriptoribus sequiorum tem-
 porum nostro accommodata & ut maioris veritatis speciem haberet
 ipsi Augustino supposita, prout ex Alexandro antea obseruauimus,
 cui iungendus Io. Forbesius Instruct. Histor. Theol. Lib. 1. c. 1. eandemque
 ante octingentos annos apud Germanos nostros receptam fuisse li-
 quet ex Psalterio Notkeri, monachi S. Galli, qui sæculo post Christum
 natum decimo extremis Ottonis Magni temporibus vixit, & antea ci-
 tatus est. Stat itaque sententia, Symbolum vulgare Apostolicum & o-
 riginem & perfectionem suam debere Ecclesiæ Romanæ, inque
 ea sæculo sexto plene exstitisse.



Historias prodest *Sacras* junxisse *Profanis*:
 Volvis hinc rectè, quam decet, Historiam.
H Gratulor hos ausus! Ita pergito *Techentine*,
 Et fies *Patria* gloria magna *Tua*.

ABR. CALOVIUS, D.

Symbola quæ dederint *Nostri* tyronibus olim
 Militiæ sacrae, versus vtramque plagam;
 Exponis docte: nunc prælia publica miscens,
 Ast illæsa manent *symbola* amicitia.
 Sedulus & constans si pergas tramite coepto,
 Olim, crede mihi, *Symbola* honoris habes.

Lubens meritoque fac.

PRÆSES.

Dies ist die erste Frucht / die recht nach Rosen schmecket /
Von Rostock mitgebracht / auff Wirtenberg gesteckt /
und zwar bey rauher Luft; doch giebt Sie reichen Lohn
Dem / der Sie wol verpflegt / versteh die Ehren Cron.
So wehrtester Gdanner ist Sein Vorsatz hoch zu preisen/
Daß Er nach Schweiß und Fleiß nun rühmlich wil erweisen/
Wie hoch Er kommen ist in Seinem Tugend Lauff/
Wenn Er der weisen Welt löst einen Knoten auff
Den mancher frech zerreißt / auch viele nur verwirren;
Damit nun keiner mög hinführo ärger irren/
Setz Er den rechten Satz von Apostolscher Lehr.
Gott laß Ihm dieses sehn ein Anfang Seiner Ehr.

Dieses geringe setze auff teutsches Begehren aus teutschem
Gemüth ein Niederdeutscher Freund und Landsmann
dem Herrn Respondenti zu rühmlichen Ehren.

M. Joann. Pasch. von Raseburg.

Mota Viris Doctis est disceptatio quondam,
Quæ durat usq; ad hunc diem:
Illud Apostolicum, quod dicunt Symbolon, annon
Confecerint Apostoli?
Eruis ex variis rationibus, optime AMICE,
Probabilissimas, quibus
Optima defendi possit sententia, magno
Ausu refellis cæteras.
Sedulitatis opus commendat teque tuumq;
Studium Patronis Optimis.

Apposuit

Johannes Gerhardus Pabst / Rostochio Meklenb.
SS. Theol. Stnd.

Fingere sermonem, tardos componere gressus,
Incautos vultu fallere res facilis.
Hoc opus hic labor est causam defendere. Tentias,
Efficies, cur Te lausq; decusq; manent.

Gratulab. adjecit

M. Johannes Albrichius, Cor. Transsylv.

Nattæ secta minus nec SYMBOLA lecta Nepotum
Cum Cera & facibus dulcis AMICE placent:
Sed TIBI secta placet, quam dum bis sena Virum vis
Prætulit, & sacri SYMBOLA lata Chori,
Hoc inquam, officium est, hæc nunc TUA cura juvabit,
Quod sistunt oculis Lemmata docta probè.
Assurgo votis: gratantia SYMBOLA solvo,
Erectos ausus prospera Fata beent.

Imq; festina licet opella, extudit

M. Theodorus Horn / Rugianus.

Viel Glück zu diesem Werck / in dem du wilt erweisen /
Vielwehrter Herzens- / Freund / und tapffer zeigen an /
Was nie ermüdet Fleiß vor Nutzen bringen kan.

Ich muß vor andre dich in diesem fall hoch preisen.
Der Himmel sey dir hold / und laß dein disputiren
Zu einem höhern Thun ein guter Anfang seyn ;
Wenn der Apostel Lehr du recht wirst haben ein
Daß du viel tausend mögst durch die zum Himmel führen.

Dieses wenige setze aus wohlmeinendem Herken seinem
werthen Freunde als zu stäten Andencken auff

Georg Pasch / von Danzig.

Slange Finsternis der Sonnen Licht bedecktet /
Verbleibt der edle Schein derselben ganz verstecktet ;
Allein so bald die Luft von Wolcken wird bereit /
So ist das Licht der Welt mit vollem Glantz bereit :

Muß nicht die Finsternis der Sinnen gänzlich weichen /
So bald ein Tugend-Muth die Künste kan erweichen ?

Gewis es bricht mit Macht und großem Ruhm hervor /
und steigt in kurzer Zeit nach Adlers- Art empor.

Nun / werth-geschäcker Freund / sein eifriges Bemühen
Sänge schon mit vollem Glantz und Ehren an zu blihen.

Der Himmel segne selbst die erste Weißheits-Frucht
Und gebe ihm nach Wunsch / was Er bisher gesucht !

Dieses setze glückwünschend seinem
Herren Landsmann

Christianus Haker / von Schwerin auß Mecklenb.
Med. Stud.

Bisher hat sein Fleiß / mein Wehrtester / getrieben /
Dasselbe was gehört zu recht beliebtem Grund /
Nun wil auch sein Gemüth / sich in den Sachen üben /
Dadurch Gelehrsamkeit / wird in Exempeln kund.

Er hat durch bittere müh bisher die Bahn gebrochen /
Darauf Er gehet igt / in voller Fruchtbarkeit /


Er selber hat Ihm schon vor langer Zeit versprochen /
Was Ihm igt Ruhm erwirbet zu recht bequemer Zeit.


Fahrt fort / Herr Techantin, dem grossen Gott zu Ehren /
Erfüllt der Eltern Wunsch / die schon den Weg gebähnt /


Leert euer Vaterland an Fruchtbarkeit vermehren /
Das sich ganz emsiglich nach Euren Früchten sehnt.


J.F. Löper, Stargard: Pom:














Na 1080.

87

ULB Halle

3

002 106 361




TA-506
(51.9.1911)



Von 32.12





3.
2

B. V.

DE

B O L O

OLICO,

S I D E

MO ERNESTO

ZELIO,

soph. Adiuncto,

e disputabit

TECHENTIN,

o - Meklenburg.

decembr. c1o 1oc XXCIII.

DRIO MAIORI.

ENBERGÆ,

RÜNINGIANÆ,

ANDREAS Wall.

3.

